



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

CXVII. Johann, Bischof von Camin, bestätigt den Altar, welchen Magister Salomo in der Marienkirche gegründet und bewidmet hat, am 19. Juni 1356.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55721)

CXVII. Johann, Bischof von Camin, bestätigt den Altar, welchen Magister Salomo in der Marienkirche gegründet und bewidmet hat, am 19. Juni 1356.

In nomine Domini amen. Johannes, dei gracia Episcopus Ecclesie Caminensis, ad perpetuam rei memoriam. Cura pastoralis officij nos inducit, vt vbi fidelium mentes circa augmentum cultus diuini versari conspiciamus, sollicitè caueamus, ne quod pro piis deputatum vsibus redeat ad prophanos, Quod tunc recte facere credimus, cum ea, que nostre ordinarie confirmationis indigent munimine, per nostras literas auctenticas stabilimus. Sane vidimus et audiimus literas prouidorum virorum Consulum et vniuersitatis Ciuitatis Premzlaw, super vendicione decem Talentorum denariorum Bandenburgenzium ad dotacionem vnius perpetui altaris In honorem omnipotentis Deij et beatorum Martirum Cosme et Damyani in Ecclesia beate Marie Virginis ciuitatis prefate per honorabilem virum Magistrum salomonem de Mokeren, medicum, fundati assignatorum, non raras, non cancellatas, sed sanas et integras ac omnj prorsus suspicionis vicio carentes, quarum literarum tenor sequitur in hec verba: (Urk. No. CVIII.) Nos igitur Prefati Magistri salomonis humiliter supplicantis, vt altare predictum cum suis redditibus ad hoc cum condicione comparatis, ne per ipsius heredes post eius obitum ad vsus prophanos distraherentur, in futurum confirmare dignaremur, precibus condignis inclinati, dicti altaris fundacionem eiusque dotacionem ac Juris patronatus disposicionem cum omnibus et singulis suis clausulis et articulis superius conscriptis ratas et gratas habemus easque auctorizamus, approbamus et in nomine domini in hijs scriptis auctoritate nostra ordinaria confirmamus, Addicientes et volentes, vt si in posterum consules dicte ciuitatis Premzlaw redditus prescriptos reemere voluerint et decreverint, quod ex tunc dicte centum Marce argenti Brandenburgensis semper apud dictum altare, pro comparandis perpetuis redditibus iugiter permanebunt, Quos eciam dicto altari applicamus et apponimus per presentes. Inhibentes sub pena anathematis et maledictionis eterne, ne potestas secularis uel quivis alius cuiuscunque status et condicionis aut dignitatis fuerit, se de dictis centum marcis argenti aut redditibus emptis cum eisdem aliquatenus intromittat contra dicti altaris vicarii voluntatem et consensum, sicuti omnipotentis dei et nostram euitare voluerit canonicam ulcionem. Datum Colberghe, Anno Domini Millelmo Tricentesimo quinquagesimo sexto, dominica Trinitatis, nostro maiori sub sigillo, presentibus appenso, in testimonium euidens omnium premissorum.

Nach Beckmann's Abschrift des Originals.

CXVIII. Der Rath zu Prenzlau bestätigt die Hergabe eines Platzes zur beabsichtigten Gründung eines Hospitals, am 22. März 1357.

In nomine domini Amen. Omnium habere memoriam magis est divini quam humani. Expedit igitur Acta hominum literis autenticis et viva voce perhennare. Hinc est, quod Nos consules Civitatis Premtzlaw Novi et antiqui et Scabini et Magistri Guldarum ad universonum noticiam